

Rhenum superiorem vel in Francogalliam an aliunde velut a Scottis deportatus sit, quorum studia et librorum copias H. Zimmer nuper egregie resuscitavit<sup>1)</sup>, hodie diiudicari poterit, nisi cui e mendis scribarum litterarum genus in archetypo exaratarum elicere contigerit. hoc vero constare mihi videtur, in monasterio quodam ad Rhenum superiorem vel in Francogallia sito volumen illud unicum exeunte saeculo IX magis neglectum quam lectum fuisse (Stud. I 88).

Libelli in hoc codice exarati ordine vulgari sese excipiebant:

I II III IV a . . IV b V VI VII,

atque singulis me iudice numeri 1—8 adscripti erant (Stud. I 84 et infra p. XXIII sq.). in medio codice octo fere folia interciderant. itaque partes codicis bipertiti libros I—IV a et IV b—VII amplexae inter se commutari poterant et commutatae sunt. neque enim audiendus est Gundermann, qui pristinum ordinem IV b—VII, I—IV a fuisse et prima ultimaque codicis folia interiisse, id quod saepe in aliis observatur, contendit: nimirum si talis fuisset archetypus, causa deerat, cur scissura inter libros VII et I integros facta utraque pars pristinum mutaret locum.

Atqui hunc ordinem perversum is reperiēbat et recipiebat, qui prior archetypum satis fideliter depinxit. Neque numeris libellorum deterrebatur, quominus a verbo *Grandinem* IV b 3, 1 initium operis exarandi faceret, quin etiam ne numeros quidem huius partis (IV b—VII) omisit; alterius partis (I—IV a) libellos praetermissis numeris subiunxit. hunc codicem, quem  $\Phi$  nominavi, saeculo X in Francogallia scriptum vel potius statim illuc transportatum esse putaverim. ibi enim quoniam ter vel quater (cf.  $\Theta\lambda\rho$  et Z) describebatur, parens codicum melioris notae factus ultra saeculum XII exstitisse ipse non videtur (Stud. I 35 sqq. 88. II 6 sqq.).

1) Cf. Pelagius in Irland, Berol. 1901, p. 7 sqq. 219 sqq.